

vertimus tamen quod distinctior et completa notio huius magisterii quoad subiectum princeps auctoritatis infallibilis dabitur in tract. seq. Hac priore soluta quaestione patet distinguendam infallibilitatem activam et passivam in Ecclesia: ea est doctorum, haec discipulorum. Activa praestat alteri in ratione causae efficientis; est enim principium efficiens consensus infallibilis totius Ecclesiae: passiva praestat activae in ratione causae finalis; nam propter obtinendam infallibilitatem universalitatis fidelium magisterium infallibile est institutum, quemadmodum universim in bonum totius societatis existit auctoritas. Cf. in fine thesis Scholion II.

Procedimus ergo ad aliam quaestionem an sit huius praerogativae infallibilitatis aliqua necessitas antecedens, ita ut nempe oportuerit Christum ea praerogativa locupletare Ecclesiam; quaestio autem fieri potest tum generatim de infallibilitate Ecclesiae, tum speciatim de infallibilitate alicuius magisterii. Porro advertere licet quod huiusmodi quaestio proponi et solvi nequit nisi iam supposita notitia aliqua Ecclesiae, ex cuius natura vel destinatione colligas quid ab ea necessario postuletur. Si enim ab Ecclesiae notitia praescindas, nec habes quod quaeras, nec rationem ullam reperis cur potius aliud prae alio reponas.

Iam vero Ecclesia Christi est coetus profitentium veram fidem, neque esse potest Ecclesia sine professione verae fidei; necessitas autem verae fidei est exclusio necessaria erroris in fide; haec porro est infallibilitas; ergo aliqua infallibilitas est necessaria Ecclesiae ratione suae naturae. Necessitatem verae fidei et quidem interioris atque ita infallibilitatis necessitatem in Ecclesia ipsi Sociniani et Protestantes admittunt. Cum enim velint Ecclesiam esse coetum eorum qui interiore fide Deo adunantur, et ad hunc coetum per se invisibilem quemlibet spectare qui veram fidem habeat, veraque fide Deum colat, etsi se invicem tales fideles non agnoscant, et eo ipso quod quis deficiat a vera fide desinat esse membrum huius coetus; et ipsi concedunt veram Christi Ecclesiam non posse non esse immunem ab errore. Quamvis propter distinctionem articuloꝝ fidei in fundamentales et non fundamentales, veram fidem Ecclesiae necessariam eam tantum velint esse quae fundamentales articulos complectitur. At negant Ecclesiam visibilem esse in professione fidei infallibilem, negant Ecclesiam visibilem esse magistram infallibilem veritatis; scilicet negant magisterium infallibile in Ecclesia, eiusque necessitatem. Etsi enim opus sit ad Ecclesiam spectare in qua infallibiliter verum tenetur, id obtinetur quatenus quis veram fidem ex Scripturis Deo docente haurit, et si habet veram fidem, membrum est verae Ecclesiae, licet ipsam non cognoscat quia invi-

sibilis est; si non habet, non est. Negatio proinde magisterii infallibilis Ecclesiae eiusque necessitatis pendet in systemate haereticorum ex perverso conceptu Ecclesiae Christi. Cum ergo certum sit Ecclesiam esse visibilem societatem, externa ipsam fidei professione vinciri magisteriumque fidei esse in Ecclesia; quaeritur an necesse sit tum universam Ecclesiam visibilem in communi professione fidei esse infallibilem tum ipsum magisterium Ecclesiae infallibile esse.

Haec itaque statuimus. 1^o Immunitas ab errore in professione fidei communi universae Ecclesiae visibili necessaria est ut aliter Christus velle non potuerit supposita institutione Ecclesiae essentialiter visibilis et perennis. Non existente enim professione verae fidei, vel existente professione erroris iam non esset Ecclesia Christi quae supra fidem fundata est, et est visibilis coetus discipulorum veritatis. Porro advertere quod hac communi existente et publica professione infallibili fidei iam est Ecclesia magistra infallibilis veritatis iis qui universalem fidelium consensum consulere velint. Atque hoc argumento frequenter usi sunt Patres ut divinam revelationem ab hominum commentis discernent.

2^o Ut actus fidei divinae eliciatur, in hypothesi quoque quod Deus immediate non revelet, opus per se non est ut ab auctoritate humano-divina infallibili, quae vi sui muneris infallibilitate gaudeat, veritas credenda proponatur. Distinguimus auctoritatem quae vi sui muneris sit praedita infallibilitate, et auctoritatem quae non erret et aliquo certo signo constet non errare. Hoc enim altero in casu potius habetur infallibilitas doctrinae quae hic et nunc traditur, quam infallibilitas magistri docentis. Iam vero fac hypothesim quod doctrinam, quam quis praedicat, Deus miraculis evidentibus confirmet: licet ille non gaudeat auctoritate infallibili ita ut ex sola eius affirmatione nulla vel ex lege naturae oriatur obligatio credendi, tamen propter intercedens testimonium Dei constat esse infallibiliter verum quod traditur, et si traditur simul infallibilitas magistri, constabit haec quoque. Ita Apostoli suam missionem suamque infallibilitatem probarunt. Rursus quemadmodum praesentibus certa esse potest veritas miraculi, ita eodem testimonio historico posteris certa esse potest, ac certitudine habente eandem specie firmitatem qua gaudet certitudo videntium miraculum. Ergo et istis certum fieri potest Deum auctoritate sua testificari quod praedicatur. Atqui cum id constat, iam est possibilis fides divina: ergo.

3^o Ut professio fidei in universa Ecclesia servaretur immunis ab errore, potuit Deus consulere pluribus modis. Quidam modus esse potuit specialis revelatio singulis facta. Alter quod post editam pri-

num praedicationem apostolicam confirmatam miraculis quibus eius immunitas ab errore certa redderetur, deinde specialis providentia consuleret ut testimonio historico notitia certa praedicatae veritatis semper servaretur, ita ut testimonium historicum notitiam certam servaret huius facti traditae scilicet talis doctrinae ab Apostolis, quorum proinde magisterium infallibile et historica testificatione semper Ecclesiae notum ratio esset cur crederemus revelata esse a Deo quae ab ipso proposita sunt, et nobis continuata testificatione fiunt nota. Cui speciali providentiae servanti historicam certam notitiam revelationis olim factae potuissent addi etiam pro opportunitate, cum quaestiones exorirentur, quidam extraordinarii doctores missi a Deo. Tandem institui potuit ordinarium perpetuum magisterium, a quo revelationis notitia petenda esset, et cuius doctrina esse norma deberet professionis fidei in universa Ecclesia, ut id omne et solum credendum esset Deo revelanti ab universa Ecclesia quod ipsum magisterium docet, et eo quod ipsum docet. Porro si hoc ultimum habet locum, h. e. si tale est institutum magisterium a Deo talisque habitudo inter ipsum et professionem fidei universae Ecclesiae instituta est, tum profecto oportuit magisterium istud instrui infallibili auctoritate. Nam Ecclesia, ut diximus, necessario debet esse immunis ab errore, porro in hac ultima hypothese auctoritas magisterii est ratio huius infallibilis professionis fidei in Ecclesia: ergo oportet ut ipsum quoque magisterium sit immune ab errore. Debet autem ita esse immune ab errore, ut certum sit fidelibus ipsum nunquam erraturum, et quidem certitudine non orta ex inspectis et diiudicatis adiunctis actus magisterii, quia tenentur fideles credere eo ipso quod magisterium proponit aliquid credendum nulla his iudicandi facultate permessa; certitudine proinde existente a priori orta ex ipsa natura talis magisterii, cui nempe repugnat error posita Christi institutione. Haec vero certitudo haberi nequit nisi certum sit Deum speciali providentia illi magisterio assistere ut error semper caveatur: ergo oportuit magisterium istud hac divina assistentia locupletari qua infallibilitas perfecta obtinetur. Atqui esse reapse a Christo institutum magisterium in Ecclesia, atque tale quale descripsimus constat ex Tractatu de Traditione: ergo. Praeterea si magisterium ita est institutum ut non solum sit necessaria et unica norma professionis fidei universae Ecclesiae, sed potestatem habeat obligandi fideles ad credendum Deo quod ab ipso magisterio ut revelatum proponitur, et quidem credendum eo quod ab illo proponitur, opus est ut sit infallibile; non nisi enim infallibili auctoritati quae vice Dei loquatur, possumus obligari ad praestandam obedientiam intellectus. Atqui tale esse a Deo institutum magisterium in Ecclesia liquet rursus ex

Tractatu de Traditione; ergo auctoritas docendi infallibilis debuit esse in Ecclesia.

Ergo fieri non potuit ut Christus Ecclesiam suam visibilem eiusque magisterium, certis suppositis elementis ex quibus eam coalescere voluit, non locupletaret charismate infallibilitatis. Non solum est ergo infallibilis Ecclesia in eaque viget magisterium infallibile quia Deus voluit, sed quia velle debuit; secus enim alia haberetur prorsus Ecclesia ab ea quam ipse instituit.

V. Nunc de obiecto infallibilitatis speciali. Non paucae sunt veritates, quae revelatae quidem non sunt, connexionem tamen specialem habent cum veritatibus revelatis. Connexio in eo est quod earum veritatum licet non revelatarum certitudine deficiente, sive admissio seu permissio errore iisdem adverso, vel subiectiva fides fidelium circa aliqua dogmata consistere non possit, deficiente veluti aliqua conditione, vel fidei obiectivae integritas penes fideles animarumque salus plus minus periclitetur; unde oportet certo sciri quid his in rebus tenendum sit. Spectant ad priores ea quae dicuntur facta dogmatica. Ad aliam classem spectant *a*) alia rursus in facto posita, nimirum *textus* qui dicuntur *dogmatici*; *textus* nempe humanae quidem originis, at quoad doctrinam, quam continent, conformes vel difformes doctrinae revelatae. Veritas in his necessaria scitu haec est, utrum hi *textus* sint nec ne conformes veritati, utrum nec ne haeresim aut errorem contineant. Spectant *b*) ad hanc classem plures veritates sive speculativae sive practicae adversae iis propositionibus falsis ex quibus periculum fidei vel animarum salutis consequi potest. Quod ut clarius intelligatur, distinguendum est inter id cuius *certitudo* nobis necessaria est ut aliquid aliud sit *certum*, et id cuius veritas necessaria est ut aliquid aliud sit *verum*. Id enim cuius certitudo (utique subiectiva) nobis necessaria est potest esse aliquid prorsus extrinsecum rei verae, quae a veritate illius sit independens: ita certitudo immaculati conceptus B. V. requirit certitudinem de auctoritate illius qui eum definivit; haec tamen veritas extrinseca est veritati immaculati conceptus, nec necessaria ut hic sit verus. Id autem cuius veritas necessaria est ut aliud sit verum, quod idcirco huiusmodi est ut si ipsum sit falsum, et aliud quoque falsum sit oportet, est ita intrinsece nexum cum veritate huius alterius ut sit elementum quoddam adaequatae veritatis eius, contineaturque comprehensione eius veritatis. Ita elementum veritatis de animi immortalitate est eiusdem spiritualitas. Quare intellectus qui rem comprehendit cum unam veritatem affirmat, intendit quoque affirmare implicite quidquid cum ea veritate est necessario nexum *connexionem veritatis*: secus enim contradictio quaedam in affirmatione haberetur.

Contingit quidem frequenter ut cum aliquid affirmant homines non intendant, imo positive nolint affirmare id quod tamen cum eo quod affirmant est intrinsece nexum; sed id ex eo oritur quod homines non comprehendant res, atque errori sint obnoxii: intendunt nihilominus affirmare quidquid censent esse cum re affirmata connexum intrinsece. Cum ergo Deus omnia comprehendat, si quid affirmat, eo ipso implicite affirmat quidquid cum eo intrinsece nexum est connectione veritatis. Attamen non exinde sequitur has omnes veritates esse revelatas. Etenim veritas revelata ea dicitur, quae sit terminus talis divinae locutionis, ut ad eam tenendam non opus sit tanquam motivo nisi auctoritate Dei loquentis. In ea comprehenduntur etiam omnia quae sola analysi in revelata reperiuntur, nam ea sunt veluti partes aut elementa veritatis revelatae, eademque nobis a Deo loquente manifestantur. Eae autem veritates, quae ope alterius veritatis ex revelata, deductione plus minus proxima, colliguntur: licet implicite affirmantur a Deo supposito veritatum necessario nexu, non tamen a Deo sunt revelatae; quia non manifestantur nobis a Deo loquente: nam ut eas teneamus non sufficit auctoritas Dei, sed requiritur etiam principium aliquod rationis, quae in ratiocinio instituendo falli tandem potest. Sunt ergo revelatae quaedam veritates, quaedam sunt nexae cum revelatis, non revelatae. Iam vero si veritates illae deductae negentur, periclitari potest fides; nam admissio opposito errore, potest ope ratiocinii ex eo deveniri ad negandum id quod est de fide. Et si veritates eae spectent ad mores, potest, iis negatis, periclitari pietas et salus animarum propter eandem rationem. Sicut ergo errores iis veritatibus adversi detrimentum afferre possunt fidei et saluti animarum, ita propugnatio earum veritatum utilis et necessaria esse potest, ut fides integra servetur, animarumque salus sit in tuto.

Quemadmodum veritates nexae cum revelatis sunt eae quae ex his colliguntur ope alterius veritatis non revelatae; ita esse possunt et aliae quae a Deo revelante supponantur, licet non revelentur; quibus negatis nec certitudo circa veritates revelatas possit consistere. Cum enim ordo revelationis supponat ordinem rationalem, nec omnes veritates huius ordinis Deus revelaverit, nihil impedit quominus aliquas Deus supposuerit, implicite quidem affirmans, sed non manifestans. Huiusmodi autem veritates ad priorem classem spectarent.

Ceterum advertendum est quod ut defendamus id quod proponimus in Thesi, opus non est ut definiamus determinate quaenam sint hae veritates nexae cum revelatis; sed probata possibilitate earum, quod iam praestitimus, satis est nobis hypothetice loqui: si nempe sunt huiusmodi veritates, et errores proinde iis oppositi;

circa haec exerceri potest auctoritas infallibilis Ecclesiae. Refellendi sunt enim adversarii Ecclesiae, qui contra eius auctoritatem excipiunt dicentes, plura, quae ab ea definiuntur, non esse revelata sed rationalia vel philosophica; ideoque extra ambitum auctoritatis Ecclesiae: satis est autem ad hos refellendos statuere quod etsi hae veritates non sint revelatae, tamen auctoritas infallibilis magisterii Ecclesiae ad eas se porrigit. Hic est enim Ecclesiae sensus, quod nempe ipsa ius habeat auctoritate sui magisterii uti tum circa veritates revelatas tum etiam circa alias. Qui quidem sensus ex his liquet. Primo enim Ecclesia proscribendo propositiones falsas, non eas tantum proscribit, quae censura haeresis dignae sunt; sed quae erroneae, falsae, perniciosae, scandalosae, temerariae, piarum aurium offensivae, etc. sunt. Deinde id evidentius declaravit Romana Sedes, scilicet Pius IX in Brevi *Gravissimas inter* 11 Decemb. 1862. et alio *Tuas libenter* 21 Decemb. 1863. Cf. *Enchiridion* Denzinger edit. 4^a pag. 456 et 463.

Circa haec igitur contendimus versari infallibilitatem Ecclesiae. Quaestio excitata est a Iansenianis quoad facta dogmatica, occasione damnationis libri Iansenii, cui titulus *Augustinus*. Textus dogmatici speciali ratione nectuntur cum doctrina revelata, nam vel continent ipsam, vel continent oppositam ipsi doctrinam. Cum impossibile sit aliquem librum doctrinalem non continere aliquam doctrinam, quae vel vera vel falsa sit oportet; quemadmodum fieri nequit ut humano more loquaris, quin aliquid dicas; haec duo, doctrina quaedam quae est obiectum libri quaeque per se spectat ad ius, et expressio eius per librum quae est ipsum factum, inseparabilia sunt, unumque re constituunt, scilicet expressionem doctrinae per scriptum, sive doctrinam scripto expressam. Si definitur librum aliquem continere doctrinam veram vel falsam, obiectum directum definitionis, in quod nempe tendit directe intentio definientis, est ipsum factum, obliquum est ius, quod simul cum illo definitur; si enim dicis librum hunc continere haeresim, dicis quoque doctrinam, quae eo continetur, esse haeresim. Definitio huius facti huc redit ut definiatur sensus libri. Sensus autem duplex distingui debet: sensus in mente auctoris existens, et sensus quem verba simul constructa et ordinata ex se ipsis exhibent, nataque sunt gignere in mente eorum qui illa verba intelligunt. Ille prior dici potest sensus subiectivus, hic obiectivus. Ratio cur distinguere oporteat est quia fieri potest ut aliud quis dicat quam quod mente versat, et vult significare, atque de actibus mere internis Ecclesia nequit iudicare. Sensus autem obiectivus merito dicitur intentus ab Auctore, quia iure praesumitur ipsum voluisse dicere quod dicit. Praeterea significatur ea formula, quod sensus, qui libro tribuitur, non est confictus et ab extrinseco veluti illatus,

sed vere exurgit ex toto contextu scriptionis ab Auctore profectae. Porro definitio Ecclesiae non nisi super hunc sensum cadit. Neque cum liber definitur haereticus, definitur eo ipso quod auctor fuerit formaliter haereticus: potuit enim imprudenter errare.

His positis, ut demonstrationem ingrediamur, praestituere oportet Ecclesiam non esse tantum *testem* veritatis, sed *magistram* et *iudicem*. Scilicet Ecclesia instituta est ut homines in salutem deducat: deducit autem primo docendo, tradendo nempe salutarem doctrinam et errores saluti infestos removendo. Finis ergo Ecclesiae postulat ut ipsa sit magistra veritatis omnis salutaris, et per eam cavere possint homines errores omnes qui salutis consecutionem impedire possent. Unde Ecclesiae magisterio promissus est Spiritus veritatis qui ducet illud in omnem veritatem, omnem nempe necessariam saluti hominum. Prout ergo Ecclesia veritatem docet, erroresque proscribit, idque exsequitur auctoritate coactiva, est *magistra veritatis*. Et quia necesse fuit ut eadem auctoritate controversiae circa doctrinam finerentur, quatenus id praestat Ecclesia dicitur esse *iudex doctrinae*. Prout vero docens vel iudicans refert eam veritatem, quam a Deo revelante accepit, dicitur esse *testis veritatis*; exsequitur enim munus testantis. Haec nequeunt ab ullo negari. Quaestio est autem an eatenus pateat munus *magistri* quatenus patet munus *testis*: munus vero testis intelligitur munus authentice testandi factum revelationis alicuius veritatis: veritas autem revelata intelligitur ea, quam superius definivimus. Huc redit omnis nostra controversia cum adversariis, qui volunt Ecclesiam illud solum docere posse quod Deus revelavit. Probamus ergo 1) auctoritatem magisterii Ecclesiae se porrigere ad alias veritates, ad eas nempe quarum iam notionem dedimus: 2) in his quoque docendis, sicut et in proscribendis erroribus oppositis, infallibile esse Ecclesiae magisterium.

Sane quoad 1^m Magisterium Ecclesiae eo spectat ut per veram doctrinam dirigat fideles in salutem: oportet ergo ut illud omne docere possit quod scitu necessarium vel utile est ad salutem; omnesque eos possit removeere errores, qui impedimento esse possent consecutioni salutis. Item Ecclesiae commissum est depositum revelationis integre et inviolate custodiendum: munus proinde Ecclesiae incumbit sollicite curandi ut Christianorum fides pura sit et intemperata, ut veritas immunis ab omni commixtione erroris conservetur et deceptionis periculum removeatur. Officium proinde incumbit Ecclesiae curandi ne credendum aut tenendum proponatur quod veram notitiam fidei labefactare posset. Atqui plures sunt veritates praeter revelatas, quas necesse est vel utile scire: plures sunt errores, etsi non directe oppositi veritatibus revelatis, quos tanquam tales cogno-

scere rursus necesse est vel utile, ut fides integra et illibata in fidelium mentibus conservetur, ut periculum verae amittendae fidei caveatur; atque ita viam salutis tuto arripere valeant fideles: ergo. Maior est evidens: minor patet ex iam dictis: fac enim dubios fideles existere circa ea facta, quae diximus dogmatica; neque fides eorum perseverare poterit: fac eos putare librum aliquem haereticum continere doctrinam catholicam, cum plurimi praesertim idonei non sint ad diiudicandum inter verum et falsum, decepti facillime amplectentur doctrinam haereticam: fac eos tenere doctrinas oppositas deductionibus ex veritatibus revelatis, eo tandem adduci poterunt ut ipsas veritates revelatas negent. Ita vero et puritas fidei violatur, et impeditur via salutis, a qua error praesertim in re morali abducatur necesse est. Porro his occurri non potest nisi magisterio: ius autem et officium docendi habet ea, quae instituta est magistra omnium in iis quae ad salutem spectant, cuique soli concredendum est depositum revelationis. Ergo.

Idem confirmatur praxi et doctrina Ecclesiae quae, praeter haereses, proscripsit quoque errores adversos veritatibus, quas fides supponit, vel quae ex fide et ratione deducuntur: cf. articulos Nicolai de Ultricuria damnatos a S. Sede an. 1348 (Denzinger p. 183), articulos Wiclephi et Hus damnatos in Concilio Constantiensi, et tot propositiones a sequentibus Pontificibus damnatas. Speciatim quoad textus dogmaticos, Concilium V coactum est pro proscribendis tribus capitulis: quoad facta dogmatica, Martinus V in Bulla: *Inter cunctas* praecipit interrogari suspectos « utrum credant quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor b. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. » Non solum ergo definitur credendum generatim hoc verum, nempe quod canonice electus in Romanam Sedem sit successor Petri; sed quod haec persona (id enim sibi volunt ea verba: *eius nomine proprio expresso*), puta hic homo qui dicitur Pius IX est successor Petri, habens auctoritatem in Ecclesia: hoc porro est factum dogmaticum. Ecclesia ergo censet auctoritatem sibi competere proponendi huiusmodi vera et exigendi in ea fidem a subditis.

Dicimus 2) magisterium Ecclesiae quoad has quoque veritates esse infallibile. Etenim id requiritur illa eadem ratione qua requiritur in his auctoritas Ecclesiae, quae facere non posset satis suo fini, si fallibilis esset. Hoc enim posito nec ipsa obligare valeret fideles ad credendum quod proponit, nec certo constaret verum esse quod ipsa docet; ideoque finis huius magisterii non obtineretur. Et sane Ecclesia infallibilis esse debet in custodiendo deposito fidei, est enim columna et firmamentum veritatis: oportet ergo ut infallibilis sit in